



## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...**

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec  
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione  
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè  
tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)



TRACTATUS II.  
DE  
VIRTUTIBUS  
CARDINALIBUS,  
AC PRÆSERTIM  
DE IUSTITIA ET IURE  
PRÆFATIO.

1.  
Quenam  
sint Vir-  
tutes Car-  
dinales, &  
quare sic  
dicta.



**V**IRTUTES Cardinales commendantur nobis Sap. 8. ubi de aterna Sapientia dicitur: Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Sobrietatis enim nomine hic significatur temperantia; sicuti nomine Virtutis fortitudo, ut docet Augustinus l. 1. Retract. c. 7. Et ex textu Græco satis clarè constat; ubi ponuntur nomina harum virtutum Philosophis usitata. Vocantur hæc Virtutes aliquando principales, ut patet apud Ambrosium 1. Offic. c. 14. Prosperum l. 3. de Vita contemplat. c. 18. Gregorium 2. Moral. c. 27. aliàs 36. Frequentius Cardinales, præsertim apud Scholasticos; prout etiam vocantur apud Ambrosium lib. 5. in Epistolam; quia nimirum in earum exercitio post Theologicas omnium morum honestas firmatur ac quasi in cardine vertitur, eademque sunt prima quedam ac principalia honesta vitæ fundamenta. Ceteræ quoque Virtutes morales ijs sunt annexæ, tamquam partes potentiales (ut Doctores loquuntur) sive ob affinitatem ad illas reducuntur.

DISPUTATIO PRIMÆ.

De Prudentia, & Vitij Oppositis.

QUESTIO I.

Quid sit Prudentia, Quod ejus Officium, Quæve Partes?

2.  
Quid prudentia generatim.



**P**RUDENTIA generatim sumitur pro omni notitia veri, præsertim quæ aliquo modo ad rectè vivendum pertinet, prout pertinet universim fides & notitia Theologica. Speciatim verò & propriè, ac

ad sensum præsentis loci describitur ad Augustino l. 1. de lib. arbit. c. 13. Rerum appetendarum & vitandarum scientia. Ab Aristotele 6. Ethic. 5. Habitus agendi ratione verà circa bona humana, quæ scilicet sunt bona hominis, quæ talis: vel (ut alii ex eodem Aristotele) Recta ratio agendorum. Ex quibus alii hanc tamquam pleniorè & clariorem definitionem collegerunt, quòd scilicet Prudentia sit Virtus intellectus, quæ in quovis negotio occurrente novimus, quid honestum sit, quid turpe, seu